



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd æqualiter non coniungendus sit in matrimonio vir suis consanguineis
& vxoris. vii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

dientes extiterint, & à tam nefando scelere se segregare, atque ad publicam pœnitentiam redire noluerint, inter eos habeantur, qui spiritu periclitantur immundo, vel etiã inter eos de quibus per se Veritas ait: Si te non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et si aliter eorum morte præuentus fuerit, alter quandiu viuat, grauitèr pœniteat, & sine spe coniugii maneat.

Ne aliquis fidelium ad propinquam sanguinis sui accedat. Cap. VI.

NAm & hæc salubriter præcauenda sancimus, ne quis fidelium propinquam sanguinis sui, vsquequo affinitatis liniamenta successione generis cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari, quoniam scriptum est: Omnis homo ad proximam sanguinis sui nõ accedat, vt reuelet turpitudinẽ eius. Et iterum: Anima quẽ fecerit quipiam ex istis, peribit de medio populi sui. Sanè quibus cõiunctio illicita interdicitur, habebunt ineundi melioris coniugii libertatem.

*Ex cõcil.
Toletan.
2. cap. 5.*

Quòd æqualiter coniungendus sit in matrimonio vir suis cõsanguineis, & vxoris. Cap. VII.

Equaliter vir coniungatur in matrimonio cõsanguineis suis, & cõsanguineis vxoris suæ.

*Ex decr.
Iulij pa-
pa.*

Quòd vno modo parentela viri & mulieris in cõiunctione considerata sit. Cap. VIII.

Sanè cõsanguinitas quæ in proprio viro obseruanda est, hæc nimirum in vxoris parentela de lege nuptiarũ custodienda est: quia constat, eos duos fuisse in carne vna, communis illis vtraque parentela esse credenda est, sicut scriptum est: Erunt duo in carne vna.

*Ex cõcil.
Matisce.
cap. 3.*

In quo geniculo abstinendum sit. Cap. IX.

ISidorus in Etymologiis suis vsque ad septimam generationem cõsanguinitatis abstinendum, & sic legitimo connubio coniungendum asseruit. Inde reor eũ fecisse, quòd genealogiæ seriem retexens, quousque ordinem numerandi perducere posset, eò cognitionẽ sanguinis seruandam aestimauit. Sicq; ad iuuocationem generis & amicitiae ius confirmandum, redire ad connubium sanciuit, quando iam cognationis ordo numerari desinit.

*Ex dictis
sancti Is-
dori.*